

LECTORI S.

CUM, opinionum commentis plurimis die tandem delectis, experimenta nova scientiam multum provexerint, Pharmacopœiam nostram retractandam rati, eam, qua potuimus cura, emendatam et expolitam denuo in lucem edimus.

Catalogum materiæ medicæ multo, quam ante, breviorem dedimus; non quod alia adversus morbos auxilio esse insitiaremur, sed quia omnia, nisi in præsentibus curationibus adhiberi solita, inde recidenda, et Pharmacopœis, quæ in officinis servarè semper deberent, legem certam dandam, arbitraremur. Quædam, quibus nunc etiam utimur, omissa, et consulto, sunt, ea scilicet, quæ in cellis et promptuariis omnium fere domuum reperiuntur. Complura olim præparatis adnumerata, propterea quod a pharmacopœis nec commode parabantur, nec nobis quidem, cum ab aliis artificibus melius accipierentur, parari placebat, ad materiæ medicæ catalogum transtulimus.

Plan.

XII L E C T O R I.

Plantas, quæ inde, ubi nascuntur, ab ipso Pharmacopœo colligendæ sunt, quo cuivis Botanices peritiori cognitu faciliores essent, adjectis illustris collegæ nostri *Caroli a Linne* nominibus specificis, distinguendas judicavimus.

Medicamentorum compositorum ordinem priorem, ut manifesto minus idoneum, mutavimus; et, licet, quis optimus ordo sit, parum fortitan constet, nos eum faltem, qui simplex et fatis commodus videbatur, secuti sumus. Unde, si quid incommodi utut orietur, id adjectus index facile sublevabit.

Medicamenta præparata et composita multa, priore Pharmacopœia comprehensa, hic prætermissa sunt: Primum, ea prope omnia, quæ in officinis vix recte servari parata possunt, tum solum, cum in præsentem usum requiruntur, paranda, et sic porro ad arbitrium uniuscujusque medentis variari permittenda; deinde ea, quæ quamvis pristino usu sancta, præfens omnino neglexit. Quod si jure rejicienda pauca retinentur, hæc quorundam consuetudini veniam danda erat. Nonnulla nova recepta sunt, sed sola, quæ aut experientia propria, aut virorum gravium testimonia, commendarant.

Enchel-

L E C T O R I . xii

Encheireses ubique maxime idoneas, sed ratio fusiſ aut explicatiſ, et eo tantum usque, quantum Pharmacopœo peritiori ſufficiat, p̄cepimus; artis pharmaceuticæ trivialia docere haud nostrum eſſe existimantes.

Multa hactenus uſitata, qualia aut in errorem ducere viderentur, aut a priorum chemicorum jactantia et mysterii ſtudio orta eſſent, quantum tuto fieri poterat, nomina commutavimus, et, quoties licebat, in aliis imperii Britanniæ partibus iisdem medicamentis imponi ſolita potiſſimum adhibuimus. Neve quem nomina nova errorem inferrent, his priora ubique fere ſubjecimus.

Ponderum et mensurarum queis perpetuo utimur, inter ſe rationem pagina ſequens monſtrabit.

EDINBURGI, ex aedibus

Collegii, xi kal. Auguft.

MDCCLXXIV.

PON.